



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

**Parisiis, 1644**

Concilium Tronense II. In Causa Ecclesiasticae Disciplinae reformandae,  
in basilica sancti Martini celebratum, sub die XV. Kalendas Decembris,  
anno Christi DLXVII. Ioannis III. papae anno VIII. ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15324**

talia commiserant, episcopatus honore priuarentur. At illi, cum adhuc propitium sibi regem nossent, ad eum accedunt, deplorantes se iniuste remotos; sibi que tradi licentiam, ut ad papam vrbis Romanæ accedere debeant. Rex vero annuens petitionibus eorum, datis epistolis eos abire permittit. Qui accedentes coram papa Ioanne, exponunt se nullius rationis existentibus causis dimotos. Ille vero epistolas ad regem dirigit, in quibus locis suis eosdem restitui iubet. Quod rex sine mora, castigatis prius illis verbis multis, impleuit. Sed nulla, quod est peius, fuit emendatio subsequuta. Tamen Victoris episcopi pacem petierunt, traditis hominibus quos in seditionem direxerant. Sed ille recordatus præcepti dominici, non debere reddi inimicis mala pro malis, nihil his mali faciens, liberos abire permittit. Vnde in posterum a communione suspensus est, pro eo quod publice accusans, clam inimicis pepercisset absque consilio, quibus accusauerat, fratrum. Sed per fauorem regis iterum in communionem reuocatus est. *Haecenus Gregorius. qui & alia post hæc de iisdem episcopis multa subiicit, quæ propterea omittimus, quod ad Synodum Lugdunensem non pertineant. Quo autem pacto examinata iterum ac discussa horum causa fuerit in altera Synodo Cabilonensi, suo infra loco videbimus.*

## <sup>a</sup> CONCILIVM TVRONENSE II.

<sup>b</sup> IN CAUSA ECCLESIASTICÆ DISCIPLINÆ reformandæ, in basilica sancti Martini celebratum, sub die xv. Kalendas Decembris, <sup>c</sup> anno Christi DLXVII. Ioannis III. papæ anno VIII. Chariberti regis VI.

### TITVLI CANONVM.

- |  |   |
|--|---|
| I. De Synodo bis per singulos annos, aut semel conuocanda. | VI. Vt epistolia soli dent episcopi.  |
| II. De pace inter episcopos conseruanda.                   | VII. De remotione abbatum, vel archipresbyterorum, sine consilio ab episcopis non facienda. |
| III. De compositione corporis Dominici super altario.      | VIII. Vt episcopus ei quem alter episcopus excommunicauit, non communicet.                  |
| IV. Ne laici in ecclesia clericis misceantur.              | IX. Vt in Britannia, sine consensu  |
| V. Vt vnaqueque ciuitas pauperes                           |   |



ANNO  
 CHRISTI  
 567.

- metropolitani, vel comprouincialium, episcopi non ordinentur.*  
 X. *Vt nullus clericus extraneam mulierem domi habeat.*  
 XI. *Vt episcopus nullam ignauiam ad distringendum habeat; & si necesse fuerit, ab aliis adiuuetur episcopis.*  
 XII. *Vt episcopus coniugem habeat, vt sororem, & nullam de se suspicionem prebeat.*  
 XIII. *Vt episcopus qui coniugem non habet, extraneas mulieres domi non habeat.*  
 XIV. *Ne duo clerici aut monachi in vno stratu recumbant; & vt monachi omnes in communi schola iaceant.*  
 XV. *De monachis qui coniugia inuent, excommunicandis, & auxilio iudicis separandis.*  
 XVI. *Ne mulier septa monasterii introire permittatur.*  
 XVII. *De obseruatione ieiuniorum monachis obeunda.*  
 XVIII. *De obseruatione psallendi.*  
 XIX. *De archipresbyteris, & aliis clericis coniugatis, qua cautela segregati ab vxoribus viuere debeant.*  
 XX. *De virginibus, & reliquis castitatem professis, vel viduis, qua post mutatam vestem coniugio copulatae sunt.*  
 XXI. *De adulterinis vel incestuosis coniunctionibus.*  
 XXII. *De Kalendis Ianuarii, & cathedra sancti Petri.*  
 XXIII. *De hymnis recipiendis.*  
 XXIV. *De iis qui per discordias regum res ecclesiarum aut sacerdotum competunt.*  
 XXV. *De peruasoribus, seu retentoribus rerum ecclesiasticarum.*  
 XXVI. *De iudicibus aut potentibus, qui pauperes opprimunt.*  
 XXVII. *Ne de ordinationibus clericorum premia exigant episcopi.*

PRÆFATIO.

**E**CCLESIASTICÆ disciplinæ debet esse suffragium congregatio sacerdotum: nec aliud erit suæ sollicitudinis tam peculiare conscribere, quam quod ad fundamentum religionis proficere recognouerit, operari non cesset; vt cum pastoralis cautela propagatur in ouilis custodia, paucorum veneranda decreta sint salutis publicæ documenta. Et quoniã quod omitti non decet, oportet implere; præsertim cum cuius ad animarum intellectualiũ, de quibus Deo cura est, forma processit, eius traditionis lex ad pontifices manauit: necesse est vigilantissime prouidere repulso torpore, vt quidquid ab antiquis patribus statutũ de tramite canonico, quarumdam personarum temeritate cernitur imminutum, reuocandum est in statum pristinum, vt possint male admissa corrigi, & non admittenda damnari. Magna est enim in ipsa seueritate pietas, per quam tollitur peccandi facultas. Nam vbi insana libertas generat vulnera, sacerdotalis districtio dat medelam. Quapropter Chri-



sto auspice, in Turonica ciuitate Concilio concordante, iuxta conuiuentiam gloriosissimi domini Chariberti regis annuentis, coadunati pro pace & instructione ecclesie, opportunum credidimus subterannexa decreta conficere, & subscriptionibus propriis roborare, vt retundantur noxia, propagentur optata: ne taciturnitate silentii vitioforum criminum nutriri videretur licentia, non abscindi; & quæ opportuna erant pro qualitate temporis adiici, non putarentur negligi, sed procurentur impleri.

## C A N O N E S.

## I.

Placuit itaque sancto Concilio, interposita virtute domini Martini, in sancta basilica sua conscribi, vt bis ad Synodum annis singulis metropolitanus & comprouinciales sui, in locum quem deliberatio metropolitani elegerit, Deo propitiante, conueniant; aut si necessitas, sicut hactenus, ineuitabilis præpedierit, vel semel in anno, sine cuiuslibet excusatione personæ, id est regie vel priuatæ, sine cuiuscumque vtilitatis obstaculo, præter infirmitatis certissimæ labore præuentum, nullius occasione velaminis, habeat vnusquisque concursum: sed sicut dictum est, neque per impedimentum ordinationis regie, neque sub occasione vtilitatis, aut causæ propriæ, debeat a Concilio separari, Apostolo prædicante: *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* & reliqua. Non debet spiritali operi etiam regalis præferri præceptio, cum primum in ecclesia sit mandatum: *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Vnde non debet præce-

Rom. 8.

Deut. 6.



ANNO  
CHRISTI  
567.

præcepto Domini persona cuiuslibet hominis anteponi, neque debet terrenæ conditionis actio vel persona terrere, quos Christus spe crucis armavit. Si quis episcoporum, vt superius dictum est, ad Synodum venire distulerit, vsque ad maiorem Synodum a metropolitano & comprouincialibus maneat excommunicatus: nec ei ex alia prouincia vllus episcopus interea communicare præsumat. Ipse enim suæ diuisionis præparat instrumenta, qui cum suis fratribus in membris ecclesiæ non concordat.

II.

Item decernitur propter illud cæleste mandatum, *Pacem meam do vobis*, vt pontificalis affectus <sup>Ioan. 14.</sup> inter confacerdotes inuiolabiliter conseruetur. Verum si pro peccatis, vt assolet, ex causa liuor emerferit, vt pendente certamine sibi inuicem reconciliari non possint, electis ab vtraque parte fratribus, id est presbyteris, præponderante dulcedine litis iacula finiant, & vota pacis acquirant. Nam qua fronte festucam de alterius oculo velit eruere, qui in suo trabem non respicit imminentem? aut quid in aliis arguat, a quo magis vitii fons inundat? Si quis autem ab vtraque parte, vt dictum est, electis presbyteris atque mediantibus fratribus, hoc est, suis membris, reconciliari neglexerit, cum ad Synodum venerit, non solum reatum coram coepiscopis se cognoscat incurrere, verum etiam congruæ poenitentia intelligat vindictam subire. Opportunum namque est illum animaduersione succumbere, qui intelligendo peccauit, & quod docere debuit, in seipso neglexit.

Concil. Tom. 12.

F f f f



## III.

Ut corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.

## IV.

Ut laici secus altare, quo sancta mysteria celebrantur, inter clericos tam ad vigiliis, quam ad Missas, stare penitus non præsumant: sed pars illa, quæ a cancellis versus altare diuiditur, choris tantum psallentium pateat clericorum. Ad orandum vero & communicandum, laicis & feminis, sicut mos est, pateant sancta sanctorum.

## V.

Ut vnaquæque ciuitas pauperes & egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundum vires, ut tam vicani presbyteri, quam ciues omnes, suum pauperem pascant: quo fiet ut ipsi pauperes per ciuitates alias non vagentur.

## VI.

Ut nullus clericorum vel laicorum, præter episcopos, epistolia facere præsumat.

## VII.

Ut episcopus nec abbatem, nec archipresbyterum, sine omnium suorum compresbyterorum & abbatum consilio, de loco suo præsumat eiicere, neque per præmia alium ordinare, nisi factò Concilio tam abbatum quam presbyterorum suorum, quem culpa aut negligentia eiicit, cum omnium presbyterorum consilio refutetur.

## VIII.

Quicumque episcopus illum, quem alter episcopus excommunicatum habet, postquam fuerit de



ANNO  
 CHRISTI  
 567.

ipſius excommunicatione commonitus, commu-  
 nicare præſumpſerit, vſque ad Synodum excom-  
 municatus habeatur.

IX.

Adiicimus etiam, ne quiſ Britannum, aut Ro-  
 manum, in Armorico, ſine metropolitani aut com-  
 prouincialium voluntate vel literis, epiſcopum or-  
 dinare præſumat. Quod ſi quis contraire tentauerit,  
 ſententiam in anterioribus Canonibus prolatam ob-  
 ſeruet, & a noſtra caritate vſque ad maiorem Syno-  
 dum ſe cognoſcat remotum & excommunicatum:  
 quia merito a caritate noſtra, vel noſtris eccleſiis  
 ſegregantur, qui patrum ſtatuta contemnunt.

X.

De familiaritatibus mulierum licet crebrius ſit in  
 Canonibus replicatum, attamen neceſſe eſt, vt ſi ſe-  
 cta virgulta, quæ male pullulauerant, redeant, rur-  
 ſus fidei falce ſuccidantur, & iam radicitus eruan-  
 tur. Nullus ergo deinceps clericorum, pro occa-  
 ſione neceſſitatis, aut cauſa ordinandæ domus, ex-  
 traneam mulierem in domo ſua habere præſumat.  
 Et cum iubeamur victum aut veſtitum artificio-  
 lo quærere, & manibus propriis laborare, quid opus  
 eſt in domo ſerpentem includere pro veſte, quæ  
 multiformem veſtem non propterea deponit vt nu-  
 detur, ſed vt ſe, dum renouatur, oſtendat clario-  
 rem? Nullus ergo clericorum, non epiſcopus, non  
 preſbyter, non diaconus, non ſubdiaconus, quaſi  
 ſanctimonialem, aut viduam, vel ancillam pro-  
 priam, pro conſeruatione rerum in domo ſua ſtabi-  
 lire præſumat; quæ & ipſa extranea eſt, dum non eſt



mater, aut soror, aut filia: quæ etiam pronior propinquabit ad culpam, dum dignoscitur subiecta dominatui. Si quis episcopus, aut presbyter, seu diaconus, aut subdiaconus, de hac re statuta patrum, vel nostra, temerare præsumperit, excommunicetur.

ANNO  
CHRISTI  
567.

## X I.

Si quis episcopus ad distringendum eos qui in hac facilitate perdurant, negligens apparuerit, sicut in ipsa sancta basilica est publice recitatum, ex consensu communi atque totius populi, sententiam prædecessorū Canonum se incurrere omnino cognoscat: sic tamen, vt tam metropolitanus suis comprouincialibus, quam comprouinciales metropolitano suo, si resistere aut contemnere episcopum clerici sui præsumperint, dent omnino solatium. Et quia dixit sancta scriptura, *Frater fratrem adiuuans exaltabitur*; quicumque pro causa Dei fratri suo solatium commonitus dare distulerit, vsque ad Synodum remoueatur. Nam si episcopus se contemnentiens, fratres suos in solatium suum non commonuerit, ipse sciat qualiter reddat Domino rationem.

*Pron. 18.*

## X II.

Episcopus coniugem vt sororem habeat, & ita sancta conuersatione gubernet domum omnem, tam ecclesiasticam, quam propriam, vt nulla de eo suspicio quaqua ratione confurgat. Et licet, Deo propitio, clericorum suorum testimonio castus viuat, quia cum illo tam in cella, quam vbi-cumque fuerit, sui habitent, eumque presbyteri & diaconi, vel deinceps clericorum turba iunio-



rum, Deo auctore, conseruent: sic tamen, propter  
 zelotem Deum nostrum, tam longe absint man-  
 sionis propinquitate diuisi, vt nec hi qui ad spem  
 recuperandam clericorum seruitute nutriuntur, fa-  
 mularum propinqua contagione polluantur.

XIII.

Episcopum episcopam non habentem nulla se-  
 quatur turba mulierum, licet saluetur vir per mu-  
 lierem fidelem, sicut & mulier per virum fidelem,  
 vt Apostolus ait. Nam vbi talis custodia necessa-  
 ria non est, quid necesse est, vt miseria prosequa-  
 tur, vnde fama confurgat? Habeant ministri ec-  
 clesie, vtique clerici qui episcopo seruiunt, & eum  
 custodire debent, licentiam extraneas mulieres de  
 frequentia cohabitationis eiicere.

XIV.

Et ne occasio famam laceret honestatis, quia  
 aliqui laici, dum diuersa perpetrant adulteria, hoc  
 quod de se sciunt, in aliis suspicantur, sicut ait Se-  
 neca, pessimum in eo vitium esse, qui in id quo in-  
 sanit, ceteros putat furere. Vt ergo ipse sinistra exi-  
 stimationis aditus amputetur, nullus sacerdotum  
 ac monachorum colligere alium in lecto suo præ-  
 sumat. Nec liceat monachis cellulas habere com-  
 munes, vbi aut bini maneant, aut peculiare reponi  
 possint: sed schola labore communi construatur,  
 vbi omnes iaceant, aut abbate, aut præposito  
 gubernante; vt dum duo vel tres vicissim legant &  
 excubent, alii consolentur: vt non solum sit custo-  
 dia corporum, sed & surgat pro lectione assidua  
 profectus animarum.



Si qui in monasterio conuersi sunt, aut conuer-  
ti voluerint, nullatenus exinde habeant licentiam  
euagandi, nec, quod absit, vllus eorum coniugem  
ducere, aut extranearum mulierum familiaritatem  
habere. Nam si, vt supra dictum est, vxorem du-  
xerit, excommunicetur, & de vxoris male sociatæ  
consortio etiam iudicis auxilio separetur. Quod si  
iudex ad hoc solatium dare noluerit, excommuni-  
cetur. Qui infelix monachus tali coniunctione fœ-  
datus, si per cuiuscumque patrociniū se conatus  
fuerit defensare, & is qui in hac pertinacitate per-  
durat, & illi qui eum exceperint ad defensandum,  
ab ecclesia segregentur, donec reuertatur ad septa  
monasterii, & indictam ab abbate, quamdiu ei  
præceptum fuerit, agat pœnitentiam, & post satis-  
factionem reuertatur ad gratiam.

## XVI.

Vt mulier intra septa monasterii nullatenus in-  
troire permittatur. Si abbas in hac parte, aut præ-  
positus negligens apparuerit, qui eam viderit, &  
non statim eiecerit, excommunicetur.

## XVII.

De ieiuniis vero antiqua a monachis instituta  
feruentur, vt de pascha vsque ad quinquagesimam,  
exceptis rogationibus, omni die fratribus pran-  
dium præparetur: post quinquagesimam tota heb-  
domade ex asse ieiuent. Postea vsque ad Kalen-  
das Augusti ter in septimana ieiuent, secunda,  
quarta & sexta die, exceptis his qui aliqua infirmi-  
tate constricti sunt. In Augusto, quia quotidie Mis-



ANNO  
CHRISTI  
567.

ſæ ſanctorum ſunt, prandium habeant. In Septem-  
bri toto, & Octobri, & Nouembri, ſicut prius  
dictum eſt, ter in ſeptimana. De Decembri uſque  
ad natale Domini, omni die ieiuent. Et quia in-  
ter natale Domini & epiphania omni die feſtiuita-  
tes ſunt, itemque prandebunt. Excipitur triduum  
illud, quo ad calcandam gentilium conſuetudi-  
nem, patres noſtri ſtatuerunt priuatas in Kalendis  
Ianuarii fieri litanias, vt in eccleſiis pſallatur, & hora  
oſtaua in ipſis Kalendis circumciſionis Miſſa Deo  
propitio celebretur. Poſt epiphania uero uſque ad  
quadageſimam ter in ſeptimana ieiuent.

XVIII.

Itemque pro reuerentia domini Martini, vel  
cultu ac uirtute, id ſtatuiſmus obſeruandum, vt  
tam in ipſa baſilica ſancta, quam in eccleſiis noſtris,  
iſte pſallendi ordo ſeruetur. Vt in diebus feſtis ad  
Matutinum ſex antiphonæ binis pſalmis explicen-  
tur: toto Auguſto manicationes fiant, quia feſtiui-  
tates ſunt & Miſſæ ſanctorum: Septembri ſeptem  
antiphonæ explicentur binis pſalmis: Octobri octo  
ternis pſalmis: Nouembri nouem ternis pſalmis:  
Decembri decem ternis pſalmis: Ianuario & Fe-  
bruario itidem uſque ad paſcha. Sed vt poſſibilitas  
habet, qui facit amplius pro ſe, & qui minus, vt po-  
tuerit. Super eſt vt uel duodecim pſalmi expedian-  
tur ad Matutinum: quia patrum ſtatuta præcepe-  
runt, vt ad Sextam ſex pſalmi dicantur cum alle-  
luia, & ad Duodecimam duodecim, itemque cum  
alleluia. quod etiam angelo oſtendente didicerunt.  
Si ad Duodecimam duodecim pſalmi, cur ad Ma-



tutinum non itemque vel duodecim explicentur?  
 Quicumque minus quam duodecim psalmos ad  
 Matutinum dixerit, ieiunet vsque ad vesperam,  
 panem cum aqua manducet, & non illi sit altera in  
 illa die vlla refectio. Et qui hoc facere contempse-  
 rit, vna hebdomada panem cum aqua manducet,  
 & ieiunet omni die vsque ad vesperam.

## XIX.

Archipresbyteri vicani, & diaconi, & subdia-  
 cono, non quidem omnes, sed plures in hac suspi-  
 cione tenentur a populo, quod cum coniugibus  
 suis maneant. Pro qua re hoc placuit obseruare, vt  
 quotiescumque archipresbyter, seu in vico man-  
 ferit, seu ad villam suam ambulauerit, vnus lector  
 canonicorum suorum, aut certus aliquis de nume-  
 ro clericorum cum illo ambulet, & in cella, vbi il-  
 le iacet, lectum habeat pro testimonio. Septem ta-  
 men inter subdiaconos & lectores, vel laicos ha-  
 beat concessos, qui vicissim septimanas suas cum  
 illo facere omnino procurent: & qui distulerit, fu-  
 stigaretur. Et si in hoc presbyter negligens inuentus  
 fuerit, quod non hoc sic implere contendat, tri-  
 ginta diebus communionem priuetur, donec pœni-  
 tentiam agat, & sic reuertatur ad gratiam. Reliqui  
 presbyteri, & diaconi, & subdiaconi vicani hoc  
 studio se custodiant, vt mancipiola sua ibi ma-  
 neant, vbi vxores suæ: illi tamen segregatim soli-  
 tarii in cella iaceant, & orent, & dormiant. Nam  
 qui vxores non habent, in parte de mancipioliis suis  
 habeant cellulas segregatim, vbi & ipsi itidem &  
 orent segregati, & dormiant. Nam si inuentus fue-  
 rit



ANNO  
 CHRISTI  
 567.

rit presbyter cum sua presbytera, aut diaconus cum sua diaconissa, aut subdiaconus cum sua subdiaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur, & depositus ab omni officio clericali, inter laicos se obseruare cognoscat: eo tamen permisso, vt inter lectores in psallentium choro colligatur. Illi vero archipresbyteri, qui talem cautelam super iuniores suos habere noluerint, & non eos habuerint studio distringendi, ab episcopo suo in ciuitate retrudantur in cellam, ibique mense integro panem cum aqua manducant, & pœnitentiam agant pro sibi credito clero: quia nulli clericorum, iuxta sententiam Canonum, cum coniuge sua manere permittitur. Et quia hæresis Nicolaitarum per Nicolai facilitatem surrexit, vbi legitur ista hæresis presbyterorum a quo presbytero primum surrexit? etiam quod nullus potuit æstimare, quod aude- ret ille qui corpus Domini consecrat, talia perpetrare, nisi tempore nouissimo pro peccatis nostris illa surrexerunt. Si illi diaconi sententia episcoporum damnati sunt, & hæretici reputati; ac si tales diaconi illi subiacent maledictioni, quos patrum statuta pro hac causa damnarunt: quid illi infelices presbyteri, qui tali sunt peccato subiecti, vt alios trahant in præcepsum secum, qui eos tali ordine viuere cernunt; & qui deberent esse forma præcepti, ipsi inueniantur norma peccati? Rectius est vt caput morbidum, si curari non potest, amputetur, quam grex per eundem inficiatur. Talis ergo sacerdos & pastor non debet a populo venerari, sed renui, qui non formam disciplinæ,

*Concil. Tom. 12.*

Gggg



sed vitii docet, dum seipsum non corrigit.

XX.

ANNO  
CHRISTI  
367.

Et quia in sententia papæ Innocentii ad Victri-  
cium episcopum Rothomagensis lata, legitur  
scriptum de virginibus quæ Christo spiritaliter nupserunt, & velari a sacerdote meruerunt, si postea nupserint, quod vix etiam ad agendam pœnitentiam mereantur accedere; quia sic dicit: *Si enim de omnibus hæc ratio custoditur, ut quæcumque viunte viro alteri nupserit, habeatur adultera; quanto magis & illa damnanda est, quæ ante immortalis sponso se coniunxerat, & postea ad humanas nuptias transmigravit?* Et adiecit: *Hæc vero quæ necdum sacro velamine tectæ sunt, tamen in proposito virginali semper se manere simulauerunt, licet velatæ non sint, si postea nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsio earum a Deo tenebatur. Nam si inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigerunt, solui sine vindicta non debet?* Post hoc de viduis adiunxit: *Nam si Paulus apostolus, si quæ a proposito viduitatis discesserunt, dixit eas habere damnationem, ubi ait: Quia primam fidem irritam fecerunt, &c.* Quis sacerdotum contra decreta talia, quæ a sede apostolica processerunt, agere præsumat? vel quis, quod peius est, contra sententiam, quam vas electionis Paulus apostolus spiritu sancto ministrante promulgavit, aliud conscribere vlla ratione præsumat, cum dicat ipse per Spiritum sanctum: *Qui prædicauerit præter id quod prædicavi, anathema sit?* Et quorum auctorum valere possit præ-

27. qu. 1.  
Quæ Christi.

Cap. 12.

Cap. 13.  
27. qu. 1.  
Hæc vero.

Galat. 1.



ANNO  
 CHRISTI  
 567.

dicatio, nisi quos sedes apostolica semper aut in-  
 tromisit, aut apocryphos fecit, & patres nostri hoc  
 semper custodierunt, quod eorum præcepit au-  
 ctoritas? Nos ergo hoc sequentes, quod vel apo-  
 stolus Paulus, vel papa Innocentius statuit, in Ca-  
 nonibus nostris inserentes, statuamus obseruan-  
 dum, vt nullus sacratam Deo virginem, quæ in ho-  
 norem Christi vestem mutauit, aut rapere, aut  
 competere, aut sibi coniugem sociare præsumat:  
 quia etiam lex Romana constituit, vt quicumque  
 sacratam Deo virginem, vel viduam fortasse ra-  
 puerit, si postea eis de coniunctione conuenerit,  
 capitis sententia feriantur. Item: *Si quis non dicam*  
*rapere, sed attentare matrimonii iungendi causa sacram*  
*virginem ausus fuerit, capitis sententia feriatur.* Cum  
 etiam in chronicis habeatur de virginibus genti-  
 lium tempore, quæ se deæ Vestæ sacrauerant, post-  
 misso proposito, & corrupta virginali gratia, le-  
 gali sententia viuas in terra fuisse defossas. Si pro-  
 fana colentes tali sententia condemnata, quanto  
 magis quæ in honorem redemptoris sui se  
 veste mutauerint, & perseuerare noluerint, vtique  
 grauem debent expectare sententiam? Sicut in A-  
 relateni Synodo habetur insertum: *De puellis quæ*  
*se vouerunt Deo, & præclari nominis decore florue-*  
*runt, si post vigesimum quintum præsertim ætatis suæ*  
*annum ad terrenas nuptias sponte transierint, id custo-*  
*diendum esse decreuimus, vt cum his quibus se alligau-*  
*runt, communionem priuentur: ita vt eis postulantibus*  
*pænitentia non negetur, cuius pænitiæ communitio*  
*multo tempore differatur.* Cum etiam id in antiquis

L. i. cod.  
 Theod. De  
 raptu vel  
 matr.

Cod. cod.  
 l. 2.

Concil. A-  
 rel. II. c. 32.

Concil. Tom. 12.

Gggg ij



Concil. Mi-  
leu. c. 26.

Mileuitanis Canonibus fuerit statutum : *Item placuit, ut quicumque episcoporum necessitate periclitantis pudicitiae virginalis, cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si aliquo etiam mortis scrupulo periculoso compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velauerit virginem, seu velauit intra viginti quinque annos aetatis, non ei obsit Concilium, quod de istorum annorum numero constitutum est.* Nos vero quos lex perimi iubet, si cupiunt audire praedicationem, volumus ut conuertantur ad vitam. Nam perimendi sunt oris gladio, & a communione priuandi, si relicta sibi decreta seniorum obseruare noluerint, & pastorem suum audire despexerint, & esse separati noluerint. Qui ergo in hac pertinacia durare voluerint, & plus in volutabro malae conuersationis permanere, quam se de vetito coniugio separare, perenni excommunicatione damnentur. Et quicumque episcoporum, aut presbyterorum, vel diaconorum, aut subdiaconorum, eos communicare praesumpserit, usque ad Synodum ab omnibus episcopis excommunicatus habeatur. Et excludatur excusationis adinuentio, quam modo aliqua dicere meditantur, quod propterea se veste mutauerint, ne eas inferiores personae macularent : cum non solum domini gloriosae memoriae Childebertus & Clotharius reges constitutionem legum de hac re custodierint & seruauerint, quam nunc dominus Charibertus rex successorum praedicatione suo roborauit, ut nullus ullam puellam absque parentum voluntate trahere aut

ANNO  
CHRISTI  
567.



ANNO  
CHRISTI  
567.

accipere præsumat. Quæcumque ergo timet violentiam, & non vult habere maritum, refugiat ad ecclesiam, donec propinqui possint eam principis imperio, aut sacerdotis vel ecclesiæ beneficio liberare & defendere, ac condigno sociare marito. Nam quæ se veste mutauerit, absque dolo in eo proposito quod disposuit, perseverare procuret. Illud vero quod aliqui dicunt; vidua quæ benedicta non fuit, quare non debet maritum accipere? cum omnes sciant quod nunquam in canonicis libris legitur benedictio vidualis: quia solum propositum illi sufficere debet, sicut in Epaonensibus Canonibus a papa Auito, vel omnibus episcopis conscriptum est: *Viduarum consecrationem, quas diaconas vocant, ab omni regione nostra penitus abrogamus.* Et expressius decretum est in Synodo Arelatensi: *Professas viduas, si in incontinentia persistierint, cum raptoribus esse damnandas.* In prophetis legitur, quia de alienigenis contra interdicta Dei Hebræi sortiti vxores, populum Dei a gentibus superatum. post prædicante propheta, quia dimisere vxores & filios, & separauerunt se ab illicitis coniugiis, statim victoriam fuisse secutam. Quicumque ergo de laicis ingenuus cum talibus excommunicatis communicare præsumserit, excommunicatum se esse cognoscat.

Conc. E.  
paon. c. 21.

Conc. Arel.  
II. c. 46.

X XI.

<sup>d</sup> De incestis vero coniunctionibus censuimus statuta Canonum vetera non irrumpi. Satis enim facimus, si in hac parte statuta prisca seruemus. Sed propterea fuit iterare necessarium, quia dicunt plu-

Gggg iij



res quasi illud per prædecessorum negligentiam sacerdotum illis non fuisset apertum. Sed reuera mentiuntur, cum sciamus tales ac tantos viros nullatenus huic negligentia subiacuisse, sed hoc quod scripturæ sanctæ testantur, assidue prædicasse. Propterea placuit etiam de voluminibus librorum pauca perstringere, & Canonibus inferere, vt excepta lectio de aliis libris in vnum, recitetur ad populum.

*Leuit. 18.*

Sic enim Dominus locutus est: *Custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis. Ego Dominus. Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est, non reuelabis turpitudinem eius. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies: turpitudinem enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, siue ex matre, quæ domi vel foris genita est, non reuelabis. Turpitudinem filia filii tui, vel neptis ex filia, non reuelabis, quia turpitudinem tua est. Turpitudinem filia uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & est soror tua, non reuelabis. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies, quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non reuelabis, eo quod sit caro matris tuæ. Turpitudinem patris tui non reuelabis, nec accedes ad uxorem eius, quia tibi affinitate coniungitur. Turpitudinem nurus tuæ non reuelabis, quia uxor filii tui est, nec discooperies ignominiam eius. Turpitudinem uxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudinem fratris tui est. Turpitudinem sororis tuæ & filia eius non reuelabis. Filiam filia eius, & filiam filia illius non sumes, vt reueles ignominiam eius, quia caro illius sunt, & talis coitus incestus est. Sororem uxoris tuæ in pel-*



ANNO  
 CHRISTI  
 567.

licatum illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius. Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis commixtione maculaberis. Maledictus homo qui faciet sculptile & conflatile, abominationem Domino, opus manuum artificum, ponetque illud in abscondito. & respondebit omnis populus, & dicet: Amen. Maledictus qui non honorat patrem suum, & matrem suam. & dicet omnis populus: Amen. Maledictus qui transfert terminos proximi sui. & dicet omnis populus: Amen. Maledictus qui errare facit cæcum in itinere. & dicet omnis populus: Amen. Maledictus qui peruertit iudicium aduenæ, pupilli ac viduæ. & dicet omnis populus: Amen. Maledictus qui dormit cum uxore patris sui, & reuelat operimentum lectuli eius. & dicet omnis populus: Amen. Maledictus qui dormit cum sorore sua, filia patris sui, siue matris suæ. & dicet omnis populus: Amen. Maledictus qui dormit cum socru sua. & dicet omnis populus: Amen. Maledictus qui clam percusserit proximum suum. & dicet omnis populus: Amen. Itemque ait sacra sententia legum, quæ in hac explanatione omni homini, tam docto quam indocto aperta est, vt quisquis aut sororis, aut fratris filiam, aut certe gradu consobrinam, aut fratris uxorem, sceleratis sibi nuptiis iunxerit, huic poenæ subiaceat, vt de tali consortio separetur; & reliqua. Item alia: Quæcumque mulier sororis suæ maritum post mortem illius acceperit, vel si quis ex viris mortua uxore sororem eius aliis nuptiis sibi coniunxerit, nouerit tali consortio se esse notabilem. In Synodo Aurelianensi, quam inuictissimus

Deuter. 27.

Cod.  
 Theod.  
 De incestis  
 nupt. l. 3.

Cod. eod.  
 l. 4.



Conc. Au-  
rel. l. c. 18.rex Clodoveus fieri supplicavit, sic decretum est: ANNO  
CHRISTI  
567.Conc.  
Epaon.  
c. 30.

*Ne superstes frater torum defuncti fratris præsumat ascendere, neve sibi quisquam amissæ uxoris sororem audeat sociare: quod si fecerint, ecclesiastica districtione feriantur. In Epaonensibus Canonibus a papa Auito, vel reliquis episcopis, constitutum est: Incestis coniunctionibus nihil prorsus veniæ reseramus, nisi cum adulterium separatione sanauerint. Incestos vero, nec ullo coniugii nomine præuelandos, præter illos, quos vel nominare funestum est, hos esse censuimus. Ut si quis relictam fratris, quæ pene prius soror extiterat, carnali coniunctione violauerit: si quis insuper germanam uxoris suæ acceperit: si quis nouercam duxerit: si quis consobrinæ sobrinæve se societ, ab ecclesia segregetur. Quod ut a præsentis tempore prohibemus, ita ea quæ sunt antè instituta non soluimus. Si quis relictæ auunculi misceatur aut patrui, vel priuignæ concubitu polluatur. Sane quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugii facultatem. In Canonibus etiam Aruernensibus a beatissimis patribus sic habetur insertum: Si quis relictam fratris, sororem uxoris, priuignam, consobrinam, sobrinamve, vel relictam patrui vel auunculi, carnalis contagii crediderit consortio violandam, & ausu sacrilego auctoritatem diuinæ legis ac iura naturæ perruperit, & cui caritatis ac piæ affectus solatia exhibere debuerat, suorum hostis ac pudicitie expugnator, vim inferre tentauerit, apostolicæ constitutionis sententia feriat, & quamdiu in tanto versatur scelere, a Christiano cætu atque conuiuio, & ecclesiæ communionem priuabitur. Nos hoc quod patres nostri*

statue-



ANNO  
 CHRISTI  
 567.

statuerunt, in omnibus roboramus: quia præcepto Domini, Apostolo prædicante, docemur, ut a nobis filii nostri seueritate potius corrigantur, quam ignaua tepiditate ad perpetranda grauiora laxentur, vbi ait: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in caritate & spiritu mansuetudinis? Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes; ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui opus hoc fecerit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicavi ut præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi. Ergo quia dixit Apostolus; Imitatores mei estote, sicut & ego Christi;* non nos præsumptuosos existimet homo, si sequentes Apostolum, quemquam ab ecclesia segregamus, donec reminiscatur, & reuertatur ad vitam, quam per Dominum Iesum Christum & baptismum meruit habere perpetuam, ne iam peccato faciente, ac diabolo persuadente, perdat & baptismi gratiam & vitam æternam.

XXII.

Enimuero quoniam cognouimus nonnullos inueniri sequipedas erroris antiqui, qui Kalendas Ianuarii colunt, cum Ianus homo gentilis fuerit: rex quidem, sed deus esse non potuit. Quisquis ergo vnum Deum Patrem regnantem cum Filio & Spiritu sancto credit, certe hic non potest integer Christianus dici, qui aliqua de gentilitate custodit. Sunt etiam qui in festiuitate cathedræ domni Petri apostoli cibos mortuis offerunt, & post Missas redeuntes ad



domos proprias, ad gentilium reuertuntur errores, & post corpus Domini, sacratas dæmoni escas accipiunt. Contestamur illam sollicitudinem tam pastores quam presbyteros gerere, vt quemcumque in hac fatuitate persistere viderint, vel ad nescio quas petras, aut arbores, aut ad fontes, designata loca gentilium, perpetrare quæ ad ecclesiæ rationem non pertinent, eos ab ecclesia sancta auctoritate repellant, nec participare sancto altario permittant, qui gentilium obseruationes custodiunt. Quid enim dæmonibus cum Christo commune, cum magis sumendo iudicium delicta videatur adde-  
dere quam purgare?

## XXIII.

Licet hymnos Ambrosianos habeamus in Canone, tamen quoniam reliquorum sunt aliqui, qui digni sunt forma cantari, volumus libenter amplecti eos præterea, quorum auctorum nomina fuerint in limine prænotata: quoniam quæ fide constiterint, dicendi ratione non obstant.

## XXIV.

Illud quoque quamquam priorum Canonum sit auctoritate præfixum, quod dum inter se sæuiunt domini nostri, ac malorum hominum stimulo concitantur, & alter alterius res rapida cupiditate peruadit, ne ista caduca actione, qua inter se aguntur, ecclesiastica rura contingere aut contaminare præsumant, inuiolabiliter obseruandum censemus, vt quicumque tam ecclesiæ quam episcopi res proprias, quæ & ipsæ ecclesiæ noscuntur esse, quas pontifex actoribus ecclesiæ dignoscitur assignasse, vel



ANNO  
 CHRISTI  
 567.

abbatum, aut monasteriorum, siue presbytero-  
 rum, quaquā temeritate peruadere, competere, vel  
 confiscare præsumpserit, tunc reseruato corre-  
 ctionis loco adhuc a presbytero eiusdem ecclesiæ,  
 cuius interest, peruasorem conuenit admoneri: &  
 si restitutionem distulerit, adhuc quasi filius ab om-  
 nibus fratribus ad reddendum missis epistolis com-  
 pellatur. Quod si pertinaciter in peruasione per-  
 stiterit, & se tollere post tertiam commonitionem  
 de re illa, aut ecclesiæ, aut propria noluerit, conue-  
 nit vt omnes omnino vna conuiuentia, simul cum  
 nostris abbatibus ac presbyteris, vel clero, qui sti-  
 pendiis ex ipso alimento pascuntur, quia arma no-  
 bis non sunt alia, auxiliante Christo, circumsepto  
 clericali choro, necatori pauperum, qui res peruadit  
 ecclesiæ, psalmus CVIII. dicatur, vt veniat super eum  
 illa maledictio quæ super Iudam venit, qui dum lo-  
 culos faceret, subtrahebat pauperum alimenta: <sup>s</sup> vt  
 non solum excommunicatus, sed etiam anathema-  
 tizatus moriatur, & cælesti gladio feriat, qui in  
 despectu Dei, & ecclesiæ, & pontificum, in hac per-  
 uasione præsumit assurgere. Illud etiam annecti pla-  
 cuit, vt qui de fratribus ad dandum solatium venire  
 pro certa infirmitatis necessitate non potuerit, ab-  
 bates & presbyteros in vice sua transmittat. Qui si  
 præter certam infirmitatis excusationem communi-  
 tus, aut venire, aut transmittere noluerit, remotum  
 se a fratrum caritate esse cognoscat. Nam, quod  
 quidem non credimus, si quis contra decreta nostra  
 tali temeratori communicare præsumpserit, in se  
 causam excommunicationis transformet, & cum



eodem se a caritate omnium sacerdotum cognoscat esse remotum.

ANNO  
CHRISTI  
567.

## XXV.

Conc. Parif.  
III. c. 1.

Placet itaque, ac omnibus modis conuenit obseruare, vt quia nonnulli memores sui per quaslibet scripturas pro captu animi de facultatibus suis ecclesiis aliquid contulisse probantur, quod a diuersis Deum minus timentibus, eatenus mortifera calliditate tenetur, vt aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam; nec intueri corde possint diem iudicii, dum nimix cupiditatis delectantur ardore. Quicumque ergo immemor interitus sui, res ecclesiis, vt supra diximus, delegatas iniuste possidens præsumpserit retinere, & veritate comperta res Dei seruis eius dissimulauerit reformare, ab omnibus ecclesiis segregatus, a sancta communionem habeatur extraneus: nec aliud mereatur habere remedium, nisi cum culpam propriam rerum emendatione purgauerit. Indigne enim ad altare Domini properare permittitur, qui res ecclesiasticas & audet rapere, & iniuste possidere iniqua defensione perdurat. Neatores enim pauperum iudicandi sunt, qui eorum taliter alimenta subtraxerint. Sacerdotalis tamen debet esse prouisio, vt vindictam admonitio manifesta præcedat, vt res usurpatas iniuste qui abstulit, adhibita æquitate restituat. Quod si neglexerit, & necessitas compulerit, postea prædonem sacerdotalis districtio maturata percellat. Neque quisquam per interregna res Dei nitatur defensare: quia Dei potentia cunctorum regnorum terminos singulari dominatione concludit.



ANN O  
CHRISTI  
567.

XXVI.

Vt iudices aut potentes qui pauperes oppri-  
munt, si commoniti a pontifice suo se non emen-  
dauerint, excommunicentur.

XXVII.

Nullus episcoporum de ordinationibus cleri-  
corum præmia præsumat exigere, quia non solum  
sacrilegum, sed & hæreticum est, sicut <sup>8</sup> in dogma-  
tibus ecclesiasticis habetur insertum, ad ordinan-  
dum clericum per ambitionem, ad imaginem Si-  
monis magi, pecuniam offerre sacerdoti; quia di-  
citur: *Gratis accepistis, gratis date.* Et cum talis sit Math. 10.  
qui gratiam Dei a sacerdote æstimat precio com-  
parari, qualis ille qui vendit, vterque vsque ad Sy-  
nodum ab ecclesia segregetur. Cauta est enim in  
salutem prouisio ad effugiendam culpam delicti,  
aditum delinquendi repellere.

Dogm. ec-  
cles. c. 72.

Math. 10.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Euphronius Turonicæ ciuitatis episcopus has constitutiones nostras  
relegi & subscripsi. Notauit sub die XV. Kalendas Decembris, an-  
no VI. regni domni nostri Chariberti gloriosissimi regis.

<sup>h</sup> Prætextatus, etsi peccator, in Christi nomine episcopus ecclesiæ  
Rothomagensis, hunc consensum nostrum secundum patrum sta-  
tuta relegi, consensi, & subscripsi, sub die XV. Kalendas Decem-  
bris, Turonus.

Germanus peccator episcopus ecclesiæ Parisiacæ consensi & sub-  
scripsi.

Felix peccator episcopus ecclesiæ Namneticæ consensi & subscripsi.  
Chalericus peccator episcopus ecclesiæ Carnotensis consensi &  
subscripsi.

Domitianus peccator episcopus ecclesiæ Andegauensis consensi &  
subscripsi.

Victorius peccator episcopus ecclesiæ Rhedonicæ consensi & sub-  
scripsi.

Domnulus peccator episcopus ecclesiæ Cenomanensis consensi &  
subscripsi.

Leudebaudis peccator episcopus ecclesiæ Sagensis cōsensi & subscr.

H h h h iij



NOTÆ IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.ANNO  
CHRISTI  
567.

- <sup>1</sup> *Anno Christi DLXVII.* ] Ex iis quæ proxime dicta sunt in Synodo Lugdunensi, statuendum est Clotharii filios regnare cœpisse anno Christi DLXII. Hinc autem sequitur Concilium Turonense, quod, ut eius subscriptio testatur, sexto Chariberti regis anno, mense Nouembri celebratum est, ad annum Christi DLXVII. referri necessario debere.
- Can. 3. <sup>2</sup> *Non in imaginario.* ] Codex Bellouacensis & collectio Bonæualis, omisissis præpositionibus, *non imaginario ordine, sed crucis titulo componatur.*
- Can. 10. <sup>3</sup> *Vt se, dum renouatur, ostendat clariorem.* ] Codex Bonæualis: *ut se gratiorem, dum renouatur, ostendat.*
- Can. 21. <sup>4</sup> *Vt excepta lectio.* ] Codex Bellouacensis, *ut scarpse lectio.* Sic & alibi collectio Andegauensis: *Scarpsum de epistola Leonis ad Rusticum.*
- Can. 22. <sup>5</sup> *Cibos mortuis offerunt.* ] Codex Bellouacensis, *intrinitas mortuis offerunt.*
- Can. 24. <sup>6</sup> *De re illa aut ecclesia.* ] Idem codex: *de reicula ecclesia.*
- <sup>7</sup> *Non solum excommunicatus, sed & anathematizatus.* ] Bellouacensis, *non solum excommunicatus, sed etiam anathema moriatur.* & supra idemtidem, *excommunicatus.*
- Can. 27. <sup>8</sup> *In dogmatibus ecclesiasticis.* ] Tituli huiusce libellum intelligit a Gennadio, ut ferunt, scriptum presbytero Massiliensi; in cuius capite 35. quod nunc est in vulgatis editionibus 72. eorum genera enumerans, qui clerici ordinari non debent, ultimo demum loco, *nec illum, ait, qui per ambitionem ad imaginem Simonis magi pecuniam offert.*

## NOTÆ SEVERINI BINII.

- Causa Concilii. <sup>a</sup> *Concilium.* ] Cum multorum temeritate sacri Canones in Gallia proculcarentur, sanctissimi patres Galliæ ex aduerso confurgentes, pro muro se domui Israel opposuere, atque viginti octo Canones antehac constitutos, stabili firmitate corroborarunt, quibus ecclesiastica disciplina collapsa refurget, pristinoque nitore splendet. Octo tantum episcopi huic Concilio interfuisse leguntur, ex quibus sanctitate celebres sunt quatuor hi: Prætextatus Rothomagensis, Germanus Parisiensis, Domitianus Catalaunensis, & Domnulus Cenomanensis. Series episcoporum intercisa & minime integra esse videtur, ex eo quod sanctus Euphronius, hoc tempore Turonensis episcopus, neque per se, neque per vicarium subscripsisse reperitur.
- Numerus episcoporum & Canonum. <sup>b</sup> *In causa, &c.* ] Hac de causa patres Concilii conuenisse indicat ipsa præfatiuncula actis synodalibus præfixa.
- Tempus Concilii. <sup>c</sup> *Anno Christi.* ] Anno sexto Chariberti regis hanc Synodum celebratam fuisse, habent acta Concilii circa finem. Cum igitur auctoritate Gregorii Turonensis lib. 4. cap. 21. historiæ Francorum
- Successores Clotharii qui.



ANNO  
CHRISTI  
567.

aperte constet, quod post obitum Clotharii regis (qui contigit anno 51. post mortem Clodouei, postque natum Christum 565.) Francia regnum inter quatuor eius filios hosce, Charibertum, Chilpericum, Gunterammum & Sigebertum, diuisum fuerit, concedere oportet annum sextum Chariberti cum 570. Christi nati concurrere, eodemque tempore hanc Synodum celebratam esse.

<sup>d</sup> *Vt corpus Domini in altari, &c.* ] Prohibetur ne corpus Domini inter sacras imagines super altari poni solitas ponatur, sed potius collocetur sub ipsa cruce, quæ in meditullio ipsius altaris poni consuevit. His temporibus corpus Domini intra columbam argenteam conseruabatur. Legitur enim in actis sancti Basili, quæ Amphilochoii nomine inscripta habentur, isto sæculo sacram eucharistiam intra columbas argenteas repositam fuisse. Has a Seuero furtim sublatas fuisse, monachi Antiocheni in libello quem quintæ Synodo obtulerunt, conqueruntur. Hic asseruandi modus a Synodo prohibitus esse videtur, dum præcipit, ne in ordine imaginario collocetur. Probabile est quod occasione illius prohibitionis Felix episcopus Bituricensis, cuius nomen huic Synodo subscriptum est, ad sacratissimam eucharistiam asseruandam, curauerit fieri instar turris vas aureum perelegans illud, quod Venantius Fortunatus celebrauit & descripsit subsequente epigrammate, cui talem inscriptionem præfixit.

Can. 3.  
Corpus Do-  
mini in ec-  
clesia con-  
seruari soli-  
tum.

Felix Bitu-  
ricensis eu-  
charistiam  
in turri au-  
rea asserua-  
uit.

AD FELICEM BITVRICENSEM,  
in turrim eius.

*Quam bene iuncta decent sacrati vt corporis agni  
Margaritum ingens aurea dona ferant!  
Cedant chrysolithis Salomonica vasa metallis,  
Ista placere magis ars facit atque fides.  
Quæ data Christe tibi Felicis munere sic sint,  
Qualia tunc tribuit de grege pastor Abel.  
Et cuius tu corda vides, pietate coæquas,  
Par vidua merito qua dedit ara duo.*

Hæc Venantius de Felicis aurea turri. Commendatur a sancto Hieronymo epistola quarta sanctus Exuperius Tolosanus episcopus, qui tempore exundantium barbarorum, ne istiusmodi aurea sacra vasa illorum rapinæ cederent, ipsa in vsum pauperum conflarat, canistro vimineo & vitreo calice corpus Domini portans. Non nisi de asseruata in ecclesia eucharistia intelligi potest illud execrandum scelus Donatistarum, quod ab Optato breuiter describitur his verbis: *Iusserunt eucharistiam canibus fundi, non sine signo diuini iudicii. nam iidem canes accensirabie ipsos dominos suos, quasi latrones sancti corporis reos, dente vindice tamquam ignotos & inimicos lanauerunt.* Cyrillus Alexandrinus redarguit hunc primum emergentem errorem illorum, qui putabant eucharistiam in sequentem diem non esse seruandam. Nam ad Calosyrium episcopum Arsomotem scribens, sic ait: *Porro alios etiam esse audio, qui mysticam benedictionem nihil ad sanctificationem proficere dicant, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem.*



*Insaniunt vero qui hæc asserunt: neque enim alteratur Christus, neque sanctum eius corpus immutatur; sed benedictionis vis & facultas & vivificans gratia perpetuo in ipso existit. Videant & cognoscant ex his novatores hæretici, novum non esse, quod extra sumptionem, in ecclesia catholica sacrosanctum corpus Christi in altari asseruetur.*

Cap. 21.  
Chariberti  
incestus  
causa hic  
Canon est  
constitutus.

<sup>e</sup> *De incestis vero coniunctionibus.* ] Sanctissimi patres huius Concilii hunc Canonem statuisse videntur ad corrigendum ipsum regem Charibertum incestus crimine labefactatum; utpote qui Marcouefam coniugis suæ Meroflendis sororem sibi nefarie copulasset. Sed cum huius Canonis auctoritate apud eum nihil aut parum effectum fuisset, sanctus Germanus Parisiensis episcopus eundem excommunicavit, cum ad poenitentiam agendam monitus, peccare non desisteret. *Post hæc*, inquit Gregorius Turonensis lib. 4. cap. 26. hist. Franc. *Marcouefam Meroflendis scilicet sororem coniugio copulavit; pro qua re a sancto Germano episcopo excommunicatus est uterque: sed cum eam rex relinquere nollet, primum illa percussa iudicio Dei obiit: nec multo post & ipse rex post eam decessit Charibertus.* Hæc de incestu regis Chariberti Gregorius.

Cap. 23.  
Occasio  
Canonis.

<sup>f</sup> *Quoniam reliquorum sunt aliqui, qui digni sunt forma cantari.* ] Huius Canonis faciendi causam dedisse videntur hymni illi, quos Venantius Fortunatus haud pridem de cruce cecinerat, quique ab ecclesia recepti, hætenus pie sancteque concini consueverunt.

Cap. 24.  
Causa legis.

<sup>g</sup> *Quod dum inter se sciunt domini nostri.* ] His verbis insinuat, qua occasione hæc constitutio, de bonis ecclesiæ non inuadendis, hic repetita fuerit: nimirum, quod cum regis ærarium frequentia bellorum ciuiliū euacuatum esset, milites inuaserint bona ecclesiæ, atque inde sibiipsis stipendia persoluerint.

Pœna sacri-  
legorum.

<sup>h</sup> *Vt non solum excommunicatus, sed etiam anathematizatus moriatur.* ] Hoc loco patres Concilii temporalem pœnam imprecantur direptoribus bonorum ecclesiasticorum. Ea pœna sacrilegium puniri Deo gratum fuisse, plura exempla declarant. De quodam diacono, qui relicta ecclesia filco se publice iunxerat, narrat Gregorius Turonensis libro de gloria martyrum cap. 17. quod cum is aliquando vsurpasset de gregibus sub nomine martyris Iuliani, & inclamantibus pastoribus eos esse sancti martyris Iuliani, & ille irridens respondisset, *putasne quia Iulianus comedit arietes?* post multos dies cum non religione, sed casu transiens ante sepulcrum beati martyris ibi obdormisset, tanta tamque ardenti febre corripere-  
retur, ut clamaret se incendi per martyrem, & crimen confiteretur: cumque deprecaretur quanta maxima posset voce, iactari super se aquam, tamquam de fornace, ita fumus egrediebatur de corpore. Interea miseri artus combusti in nigredinem conuertuntur; unde tantus procedebat fœtor, ut tolerari vix posset: atque ita spiritum exhalauit. De rege Chariberto narrat idem Gregorius lib. 1. de miraculis S. martyris. quod cum loco sacro, qui fuerat in honorem sancti Martini consecratus, stabulum erexisset, omnium eorum illuc introductorum iacturam fecerit; monitusque redde-

Chariberti  
sacrilegiū.

re



ANNO  
CHRISTI  
567.

re, quod iniuste occupabat, responderit: *Sive iuste, sive iniuste reddi debeat, me regnante hanc basilicam non habebit.* Quo sacrilegio cum haud dubie diuinum numen grauissime offendisset, paulo post regno simul & vita iussu Dei vindicis exutus fuit.

<sup>1</sup> *Prætextatus.* ] De Prætextato, Germano, Felice, Domitiano & Domnulo hic subscriptis episcopis, vide quæ dixi supra, &c.

## EPISTOLA

## EPISCOPORVM PROVINCIÆ

TVRONICÆ AD PLEBEM MISSA

post Synodum suprascriptam.

*Hortantur vt imminentem cladem auertere studeant: ideoque nuptialia vota differant, rerum omnium decimas persoluant, cum inimicis redeant in gratiam; mancipiorum etiam decimas offerant, & qui mancipiis carent, pro singulis filiis singulos dent tremisses. incestas denique coniunctiones dissoluant.*

**P**ONTIFICALIS est ordinis, ad suam sollicitudinem infatigabiliter reuocare, quidquid ad correctionem populorum, imo magis filiorum spiritalium, quantum est fas intelligere, cognouerit pertinere; & non, quod absit, cum suo periculo alienæ spei per suam negligentiam facere detrimentum, si quod ad generalis salutis spectat compendium, sedulo necesse est prouidere tractatu. Denique pastor cum lupo videtur conniuentiam facere, si permittit rapere, cum possit obstare: præsertim cum sermone prophetico animæ commissæ plebis requirantur ad singula de manibus sacerdotis. Vnde quantæ culpæ teneatur reatu dominante subiectus, qui cessat alicui poculum sanitatis porrigere, quod cum non dederit alteri, se facit extinguere, & in se vindictam videtur excipere, de qua crimen alter admisit, cum vix quisque sufficiat sua flendo facta purgare? Sed ne alieni facinoris teneamur adstricti, ecce oris nostri buccina ad aures omnium personamus: neque se deinceps excusabit non monitum, qui quod sequi debeat tam verbis, quam literis edocetur. Sed sicut nos incessabiliter dicere, ita vos decet libenter audire: vt nec nos semen in spinosam segetem videamur effundere, nec vos patiamini sterili agri culpa damnari: sed commune sit gaudium, quod a nobis panditur, & a vobis impletur; vt cum dominus vniuersæ mellis aduene-

Ezech. 3.



rit, & terra de fecunditate, & mereatur agricola gloriari de fruge. Itaque, filii carissimi, qui estis partus diuinæ gratiæ, beatæ fructus ecclesiæ, regeneratio baptismi, possessio cæli, membra Christi, redhibitio regni, vestra palma, nobis corona, salubri admonitione opportunum duximus admonere, quoniam peccatorum nostrorum in præcipiti mole crescente, videtur cladis grauissimæ necessitas imminere, nec alibi refugium inuenire, nisi ad illius præcepta recurrere, qui vitam nostram sua morte voluit reparare: vt si qui ex vobis sunt in sponsali pactione deuincti, nec adhuc in matrimonii fœdere copulati, nuptiarum suarum etsi definitum iam tempus sit, licet Apostolo vota nuptialia permittente; nos tamen consilium dantes hortamur, vt iusto moderamine debeant ad præsens differre, duplici conditione compulsi, vt aut ira Domini per castimoniam corporis, & sinceritatem cordis, oratione assidua valeat mitigari; & cum tranquillitas obtineri meruerit, tunc sine suspitione interitus possint vota celebrari festiua: aut certe si hoc illi de nobis placuerit qui condidit, vt quoscumque iusserit, de corpore cogantur migrare, vel sit iustæ consolationis cautela, vt anima de sæculo non abripiatur immunda, nec grauior esse incipiat mors futura, quam erat præsentis de funere, si postmodum pro crimine non pœna fœuaret. nam istud admitteretur facillime, si nos post casum requies inuitaret. Illud vero instantissime commone-

*Genes. 14.* mus, vt Abrahæ documenta sequentes, decimas ex omni facultate non pigeat Deo pro reliquis, quæ possidetis, conseruandis offerre: ne sibi ipse inopiam generet, qui parua non tribuit, vt plura retentet; & quod dicendum est verius, suum persoluat precium, ne se trahi videat peccato dominante captiuum: quia certe vltterius mercatorem suæ ereptionis non inuenit, qui hic redemptori resistit, cuius vox satis intonat dicens: *Eleemosyna extinguit peccatum.*

*Eccles. 3.*  
*Luc. 11.* Item: *Date eleemosynam, & omnia vobis munda erunt.* Quare autem illi de suis non offeras, quod cum dare videris, non amittas? Faciat se vnusquisque de rebus alienis gratuitum, ne cum nihil habeat proprium, nec alium præparet inimicum. Ergo si quis in Abrahæ conlocari vult gremio, eiusdem non repugnet exemplo: & soluat eleemosynæ precium, quisquis optat regnare cum Christo. Illud etiam re-



ANNO  
 CHRISTI  
 567.

petita voce monentes hortamur, vt si quis alterius caritatis offensam (quod absit) incurrit, odium vice mutua relaxantes, in amplexu veræ concordia festinent iam celerime conuenire. Quid enim in vacuum dimitti sibi peccatum desiderat, qui inimici delicta dimittere non exoptat; cum prima sit eleemosyna non querere de peccante vindictam, sed contra reddere beneficia pro querela? Et licet superius dictum sit, ad exemplum Abrahæ decimas offerri debere: attamen propter cladem quæ imminet, hortamur, vt etiam vnusquisque de suis mancipiis decimas persoluere non recuset: quia dicitur in illa infirmitate ad diuisionem nescio quam venire personas, quasi nouem auferat, decimam vt relinquat. Vnde satis congruet cum mercede animæ vnum soluere, vt nouem non possit amittere, quam cum peccati crimine & reliquos perdere, & quem dare noluit, non habere. Quod si mancipia non sint, & fuerint aliqui habentes binos aut ternos filios, per vnumquemque singulos tremisses in episcopi manu contradat, aut quem suo loco pontifex elegerit, assignare non dilatet, quod possit in captiuorum redemptionem conferri: vt cum sic agitur, & præsentis iræ remotio, & merces proficiat in futuro. Si qui vero incesta se coniunctione visi sunt copulasse, in quantum ratio admittit, hortamur etiam, & pro salute vestra rogamus, vt iuxta Canonum statuta vsque ad maiorem Synodum separentur: ne si voluntate implere distulerint, cælesti (quod absit) facere incipiant ultione. Quæ congrua monita, sicut decet, ab spiritalibus filiis admonemus in omnibus recipi salubriter & impleri: quatenus qui ad bonum opus mentis deuote respicit, ipse quod rogatur repenset.

In Christi nomine Euphronius episcopus plurimum saluto.

In Christi nomine Felix episcopus plurimum saluto.

In Christi nomine Domitianus episcopus plurimum saluto.

In Christi nomine Domnolus episcopus plurimum saluto.

NOTA IACOBI SIRMONDI

SOCIETATIS IESV.

<sup>1</sup> *Epistola episcoporum.* ] Nunc primum edita ex aliquot manuscriptis, sed mendosis. Pertinere autem ad Synodum Turonensem argumento sunt episcopi, qui subscribunt.

*Concil. Tom. 12.*

Iiii ij



EPISTOLA  
SANTÆ RADEGVNDIS  
AD EPISCOPOS.

Hanc initio institutæ congregationis suæ, pro eius tutela  
& stabilitate scripsit, Concilioque Turonenfi  
confirmandam absens obtulit.

*Dominis sanctis, & apostolica sede dignissimis in Christo patribus,  
omnibus episcopis Radegundis peccatrix.*

Greg. Tur.  
lib. 9. c. 42.

CONGRVÆ prouisionis tunc roboraliter ad effectum  
tendit exordium, cum generalibus patribus, medi-  
cis, ac pastoribus, ouilis sibi commissi causa auribus tra-  
ditur, eorumque sensibus commendatur, quorum parti-  
cipatio de caritate consilium, de potestate suffragium,  
de oratione ministrare poterit interuentum. Et quoniam  
olim vinclis laicalibus absoluta, diuina prouidente & in-  
spirante clementia, ad religionis normam visa sum volun-  
tarie duce Christo translata; ac pronæ mentis studio cogi-  
tans etiam de aliarum profectibus, vt annuente Domino  
mea desideria efficerentur reliquis profutura, instituyente  
atque remunerante præcellentissimo domno rege Clo-  
thario, monasterium puellarum Piçtaua vrbe constitui,  
conditumque, quantum mihi munificentia regalis est lar-  
gita, facta donatione dotaui. Insuper congregationi per  
me Christo præstante collectæ regulam, sub qua sancta  
Cæsaria deguit, quam sollicitudo beati Cæsarii antistitis  
Arelatensis ex institutione sanctorum patrum conuenien-  
ter collegit, adsciui. Cui consentientibus beatissimis & hu-  
ius ciuitatis, & reliquis pontificibus, electione etiam no-  
stræ congregationis, domnam & sororem meam Agne-  
tem, quam ab ineunte ætate loco filix colui & eduxi, ab-  
batissam institui, ac me post Deum eius ordinationi regu-  
lariter obedituram commisi. Cuique formam apostoli-  
cam obseruantes, tam ego, quam sorores, de substantia  
terrena quæ possidere videbamus, factis chartis tradidi-  
mus, metu Anania & Sapphira, in monasterio posita ni-  
hil proprium reseruantes. Sed quoniam incerta sunt hu-  
manæ conditionis momenta vel tempora, quippe mundo



ANNO  
CHRISTI  
567.

in finem currente, cum aliqui magis propria quam diuina cupiant voluntati seruire, zelo ducta Dei, hanc suggestionis meae paginam heredibus apostolatus vestri in Christi nomine superstes porrigo vel deuota; & quia praesens non valui, quasi vestris prouoluta vestigiis, epistolae vicarietate prosternor: coniurans per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, ac diem tremendi iudicii, (sic representatos vos non tyrannus oppugnet, sed legitimus rex coronet) ut si casu post meum obitum quaecumque persona, vel loci eiusdem pontifex, seu potestas principis, vel alius aliquis, quod nec fieri credimus, congregationem vel suasu maleuolo, vel impulsu iudiciario perturbare tentauerit, aut regulam frangere, seu abbatissam alteram, quam sororem meam Agnetem, quam beatissimi Germani, praesentibus suis fratribus, benedictio consecrauit; aut ipsa congregatio, quod fieri non potest, habita murmuratione mutare contenderit; vel quasdam dominationes in monasterio, vel rebus monasterii, quaecumque persona, vel pontifex loci, praeter quas antecessores episcopi, aut alii me superstite habuerunt, nouo priuilegio quicumque affectare voluerit, aut extra regulam exinde regredi quis tentauerit, seu de rebus, quas in me praecellentissimus dominus Clotharius, vel praecellentissimi domni reges filii sui contulerunt, & ego ex eius praecceptionis permisso monasterio tradidi possidendum, & per auctoritates praecellentissimorum domnorum regum Chariberti, Guntramni, Chilperici, & Sigeberti, cum sacramentali interpositione, & suarum manuum subscriptionibus obtinui confirmari: aut ex iis quae alii pro animarum suarum remedio, vel sorores ibidem de rebus propriis contulerunt, aliquis princeps, aut pontifex, aut potens, aut de sororibus cuiuslibet persona, aut minuire, aut sibimet ad proprietatem reuocare sacrilego voto contenderit: ita vestram sanctitatem, successorumque vestrorum post Deum pro mea supplicatione, & Christi voluntate, offendens incurrat, ut sicut praedo & spoliator pauperum extra gratiam vestram habeatur, & nunquam de nostra regula, vel de rebus monasterii obfistentibus vobis imminuere valeat aliquid, aut mutare. Hoc etiam deprecans, ut cum Deus praedictam domnam sororem



nostram Agnetem de sæculo migrare voluerit, illa in loco eius abbatissa de nostra congregatione debeat ordinari, quæ Deo & ipsi placuerit, custodiens regulam, & nihil de proposito sanctitatis imminuat, & nunquam propria, aut cuiuscumque voluntas hoc præcipiat. Quod si, quod absit, contra Dei mandatum, & auctoritatem regum, aliquis de superscriptis conditionibus, vobis coram Domino & sanctis eius precabiliter commendatis, agere, aut de persona, aut substantia minuere voluerit, aut memoratæ sorori meæ Agneti abbatissæ molestias aliquas inferre tentauerit, Dei & sanctæ crucis, & beatæ Mariæ incurrat iudicium, & beatos confessores Hilarium & Martinum, quibus post Deum sorores meas tradidi defendendas, ipsos habeat contradictores & persecutores. Te quoque, beate pontifex, successoresque vestros coniuro & deprecor, vt vos, quos patronos in causa Dei diligenter adscisco, si quis, quod absit, extiterit, qui contra hæc aliquid moliri tentauerit, pro repellendo & confutando Dei hoste non pigeat ad regem, ad quem eo tempore locus iste respexerit, vel ad Pictauam ciuitatem, pro re vobis ante Dominum commendata percurrere, & contra aliorum iniustitiam executores & defensores iustitiæ elaborare, vt tale nefas nullomodo suis admitti temporibus rex patiatur catholicus, nec conuelli permittat, quod Dei, & mea, & regum ipsorum voluntate firmatum est. Simule etiam principes, quos Deus pro gubernatione populi post decessum meum superesse præceperit, coniuro per regem cuius regni non erit finis, & ad cuius nutum regna consistunt, qui eis donauit ipsum viuere vel regnare, vt monasterium quod ex permisso & solatio domnorum regum, patris vel aui eorum, construxisse visa sum, & ordinasse regulariter vel dotasse, sub sua tuitione & sermone vna cum Agnete abbatissa iubeant gubernare, & a nullo neque supradictam abbatissam nostram, neque aliquid ad nostrum monasterium pertinens, molestari aut inquietari, vel exinde imminui, aut aliquid mutari permittant: sed magis pro Dei intuitu, vna cum dominis episcopis, ipsi me supplicante coram redemptore gentium, sicut eis commendo, defensari iubeant & muniri: vt in cuius honore Dei famulas protegent, cum defenso-



ANNO  
CHRISTI  
567.

re pauperum, & sponſo virginum perpetualiter æterno ſocientur regno. Illud quoque vos ſanctos pontifices, & præcellentiffimos domnos reges, & vniuerſum populum Chriſtianum coniuro per fidem catholicam, in qua baptizati eſtis, & eccleſias conſeruatis, vt in baſilica, quam in ſanctæ Mariæ dominicæ genitricis honorem cœpimus ædificare, vbi etiam multæ ſoroꝛes noſtræ conditæ ſunt in requie, ſiue perfectæ, ſiue imperfectæ, cum me Deus de hac luce migrare præceperit, corpusculum meum ibi debeat ſepeliri. Quod ſi quis aliud inde voluerit, aut fieri tentauerit, obtinente cruce Chriſti, & beata Maria, diuinam vltionem incurrat: & vobis intercurrentibus, in loco ipſius baſilicæ merear cum ſororum congregatione obtinere loculum ſepulturæ. Et vt hæc ſupplicatio mea, quam manu propria ſubſcripſi, in vniuerſalis eccleſiæ archiuo ſeruetur, effuſis cum lacrymis deprecor: quatenus ſi contra improbos aliquos neceſſitas exegerit, vt veſtra deſenſione ſoror mea Agnes abbatiffa, vel congregatio eius, ſuccurri ſibi popoſcerint, veſtræ miſericordiæ pia conſolatio opem paſtorali ſolicitudine ſubminiſtret: nec de me deſtitutas ſe proclamant, quibus Deus præſidium veſtræ gratiæ præparauit. Illud vobis in omnibus ante oculos reuocantes, per ipſum qui de cruce glorioſa Virginem ſuam genitricem beato Ioanni apoſtolo commendauit, vt qualiter ab illo completum eſt Domini mandatum, ſic ſit apud vos, indigna & humilis domnis meis eccleſiæ patribus & viris apoſtolicis quod commendo: quod cum dignanter ſeruaueritis deſiſtitum, meritis participes, cuius impletis mandatum, apoſtolicum digne reſparetis exemplum.

SVBSCRIPTIO.

Ego Radegundis peccatrix huic inſtitutioni a me factæ manu propria ſubſcripſi.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

<sup>1</sup> *Epistoła ſanctæ Radegundis.* ] Non video quod tempus huic epistołæ aptius congruat, quam Concilii II. Turonenſis. Cum enim ſcripta ſit ad episcopos illos ipſos, ( quod ex illorum reſcripto patet ) qui Concilio Turonenſi adfuerunt, veriſimile eſt tum ad eos miſſam,



cum vna essent in eo Concilio congregati. Qui hanc in longiora tempora differunt, & post annos 20. paulo ante obitum a sancta Radegunde scriptam volunt, præterquam quod a Gregorio Turonensi refelluntur, qui initio institutæ ab ea congregationis editam docet lib. 9. cap. 39. hoc etiam non animaduertunt, Euphronium episcopum (vt de ceteris qui vna rescribunt nihil dicam) ea tempora non attigisse, totoque amplius decennio sanctæ Radegundis obitum præuertisse.

\* *Sub qua sancta Casaria deguit.* ] Soror sancti Cæsarii; aut certe iunior altera, si degit legas. Duæ siquidem eiusdem nominis & muneris Cæsariæ fuerunt. Vna sancti Cæsarii germana, quam Cæsarius frater condito a se monasterio abbatissam præfecit, eique regulam, sub qua cum suis viueret, instituit. Posterior altera, quæ priori, superstitæ adhuc Cæsario defunctæ, in abbatissæ munere successit, vt auctor est Cyprianus in vita sancti Cæsarii, quam Cæsariæ huius rogatu composuit. Ab hac eadem Radegundis regulam Cæsarii, quam monasterio suo traderet, expetiit.

DECRETVM EPISCOPORVM,  
QVOD SVSCEPTA BEATÆ RADEGVNDIS  
epistola conscripserunt.

*Domina beatissima, & in Christo ecclesiæ filia Radegundi, Euphronius, Prætextatus, Germanus, Felix, Domitianus, Victorius, & Domnolus, episcopi.*

Gregor.  
Tur. lib. 9.  
c. 39.

SOLICITA sunt iugiter circa genus humanum immensa diuinitatis prouisura remedia, nec ab assiduitate beneficiorum suorum quocumque loco vel tempore videntur aliquando seiuncta; cum pius rerum arbiter tales in hereditate culturæ ecclesiasticæ personas vbique disseminat, quibus agrum eius intenta operatione fidei rastro colentibus, ad felicem centeni numeri reditum diuina temperie Christi seges valeat peruenire. Tantum igitur benignitatis eius se passim dispensatio profutura diffundit, vt illud nusquam deneget, quod prodesse multis agnoscit: quarum personarum exemplo sanctissimo, cum iudicaturus aduenerit, habeat in plurimis quod coronet. Itaque cum ipso catholicæ religionis exortu cœpissent Gallicanis in finibus venerandæ fidei primordia respirare, & adhuc ad paucorum notitiam tunc ineffabilia peruenissent Trinitatis dominicæ sacramenta; ne quid hic minus acquireret, quam in orbis circulo prædicantibus



ANNO  
CHRISTI  
567.

cantibus apostolis obtineret, beatum Martinum peregrina de stirpe ad inlumptionem patriæ dignatus est dirigere misericordia consulente. Qui licet apostolorum tempore non fuerit, tamen apostolicam gratiam non effugit. Nam quod defuit in ordine, suppletum est in mercede: quoniam sequens gradus illi nihil subtrahit, qui meritis antecellit. Huius quoque, reuerentissima filia, in vobis gratulamur rediuiua surgere supernæ dilectionis exempla propitiatione diuina. Nam declinante tempore sæculi vetustate, vestri sensus certamine fides reuirescit in flore; & quod veterno tepuerat algore senectæ, tandem feruentis animi rursus incalescit ardore. Sed cum pene eadem veneritis ex parte, qua B. Martinum huc didicimus accessisse; non est mirum si illum imitari videaris in opere, quem tibi ducem credimus itineris extitisse: vt cuius es secuta vestigia, felici voto compleas & exempla; & beatissimum virum in tantum tibi facias esse socium, in quantum partem refugis habere de mundo. Cuius opinionis radio præmicante, ita reddis audientium pectora cælesti fulgore suffusa, vt passim prouocati puellarum animi, diuini ignis scintilla succensi, raptim festinent auide in caritate Christi fonte vestri pectoris inrigari; & relictis parentibus te sibi magis eligant, quam matrem. Fecit hoc gratia, non natura. Igitur huius studii vota videntes, gratias clementiæ supernæ referimus, qui voluntates hominum suæ facit voluntati connecti; quoniam confidimus, quas apud vos iubet colligi, suo vult complexu seruari. Et quia quasdam comperimus, diuinitate propitia, de nostris territoriis ad institutionem vestræ regulæ desiderabiliter conuolasse; inspicientes etiam vestræ petitionis epistolam libenter a nobis exceptam, hoc Christo auctore & remediatores firmamus, vt licet omnes æqualiter quæ ibi conueniunt, in Domini caritate mansuræ, debeant inuiolabiliter custodire, quod videntur libenti semel animo suscepisse: quoniam contaminari non debet Christo fides calo teste promissa, vbi non leue scelus est templum Dei, quod absit, pollui, vt ab eo possit ira succendente disperdi. Tamen specialiter definimus, si qua, sicut dictum est, de locis sacerdotaliter nostræ gubernationi Domino prouidente commissis, in Pictaua ciuitate vestro monasterio meruerit so-



ciari, secundum beatæ memoriæ domni Cæsarii Arelatensis episcopi constituta, nulli sit ulterius discedendilicentia, quæ, sicut continet regula, voluntate prodita videtur ingressa: ne vnus turpi dedecore ducatur in crimen, quod apud omnes emicat in honore. Et ideo si (quod auertat Deus) aliqua insanæ mentis inlicitatione succensa, ad tanti opprobrii maculam præcipitare suam voluerit disciplinam, gloriam & coronam, vt inimici consilio, sicut Eua eiecta de paradiso, per qualemcumque locum de claustris ipsius monasterii, imo de cæli regno, exire pertulerit, mergenda & conculcanda vili platearum in luto, separata a communione nostra, diri anathematis vulnere feriatur. Ita vt si fortassis, Christo relicto, homini voluerit nubere, diabolo captiuante, non solum ipsa quæ refugit, sed etiam ille qui ei coniunctus est, turpis adulter, & potius sacrilegus quam maritus, vel quisquis, vt hoc fieret, venenum magis quam consilium ministravit, simili vltione, sicut de illa dictum est, cælesti iudicio nobis optantibus percellatur: donec separatione facta per competentem execrandi criminis pœnitentiam, a loco, quo egressa fuerat, recipi meruerit & adnecti. Adicientes etiam, vt eorum qui nobis quandoque successuri sunt sacerdotes, similis condemnationis teneantur adstrictæ reatu: & si, quod non credimus, aliquid ipsi voluerint aliter, quam nostra delibatio continet, relaxare, nouerint se nobiscum æterno definiente iudice causaturos: quia communis est salutis instructio, si quod Christo promittitur, inuiolabiliter obseruetur. Quod nostræ determinationis decretum, pro firmitatis intuitu, propriæ manus subscriptione credidimus roborandum perpetualiter a nobis Christo auspice duraturum.